

S U P P L E M E N T U
M I S S A L I S


T R E C O R E N S I S

S E U

M I S S Æ P R O P R I Æ

D I Æ C E S I S T R E C O R E N S I S .

*Illustrissimi ac Reverendissimi in Christo Patris D. D. JOANNIS - M.
DE ROYÈRE, Trecorensis Episcopi jussu editæ, & in Synodo
Diœcesanâ ab eo adoptatæ, anno 1769.*



MONTIS-RELAXI,

Apud P. GUYON, Regis, Episcopi & Cleri Trecorensis Typogr

M. D C C. L X X I.



M I S S Æ
O F F I C I O R U M
QUÆ CONTINENTUR
IN PROPRIO TRECORENSI.

MENSE JANUARIO.

DIE V. JANUARI.
FESTUM SS. ANGELORUM
REGIS ET REGNI GALLIÆ CUST.

*Missæ. Benedicite Dominum.
Ut 2. Off.*

ORATIO.

DEUS, qui ineffabili provi-
dentiâ, Sanctos Angelos
tuos ad Regum & Regnorum custo-
diam mittere dignaris, largire chris-
tianissimo Regi nostro N. & omni-
bus Subditis ejus, & eorum semper
in terris protectione defendi, &
æternâ in cœlis societate gaudere.
Per eundem Dominum, &c.

*Comm. vigil. & S. Telesph. in Mis-
sæ. tant. Evang. vigil. in fine.*

MENSE FEBRUARIO.

DIE XXVIII. FEBRUARI.
FESTUM, SANCTI RUELINI
TRECOR. EPISC. ET CONF.

*Missæ, Sacerdotes tui, &c. de
comm. Pontif. 2º. loco.*

MENSE MARTIO.

DIE XIII. MARTII.
FESTUM
S. PAULI, LEONENSIS
EPISCOPI ET CONFESSORIS.

*Missæ, Sacerdotes tui. De com-
muni 2º. loco. cum Evang. & Ora-
tionib. sequentibus.*

ORATIO.

Deus, qui hunc præclarum diem Sancti Pauli Confessoris tui atque pontificis festivitati consecrasti: da, quæsumus, ut ejus intercedentibus meritis, à peccatorum nexibus te miserante mereamur absolvi. Per Dominum, &c.

† Sequentia Sancti Evangelii secundum Marcum.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptisatus fuerit, salvus erit: Qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient: Linguis loquentur novis: Serpentes tollent: Et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: Super Ægros manus imponent, & bene habebunt.

SECRETA.

Hostias nostras, quæsumus, Domine, Sanctus Pontifex Paulus nomini tuo reddat acceptas, qui tibi dignè eas offerendo complacuit. Per Dominum, &c.

POSTCOMMUNIO.

Corporis & sanguinis tui, Domine, participatione refecti in honore Beati Pauli Pontificis, quæsumus, ut à cunctis adversitatibus muniamur, & expiatis maculis

peccatorum, virtutibus informemur. Per Dominum, &c.

MENSE APRILI.

DIE VII. APRILIS.

FESTUM.

SANCTI GONERII, CONF.

Missa. Justus.

In Quadrages. com. fer. & ejus Ev. in fine.

DIE XXVII. APRILIS.

FESTUM SANCTI BRIOCI, EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Missa de communi. Statuit.. &c.

ORATIO.

Conserva, Domine, famulos tuos in tuo amore confidentes: ut interveniente beato Brioco Confessore tuo, atque Pontifice, cælestium gaudiorum consortes fieri mereamur. Per Dominum, &c.

MENSE MAIO.

DIE XVII. MAII.

FESTUM.

S. JOAN. NEPOMUCENI. M.

Missa de com. unius Mart. Lætabitur, &c.

ORATIO.

Deus, qui ob invictum Beati Joannis sacramentale silentium, novâ Ecclesiam tuam Martyrii coronâ decorasti: Da nobis ejus intercessione & exemplo, linguam cautè custodire, ac omni potius mala, quàm animæ detrimentum, in hoc seculo tolerare. Per &c.

DIE XIX. MAII.

FESTUM.

S. YVONIS CONFESSORIS

SECUNDI DIOECESIS TRECOR. PATRONI.

INTROITUS.

Qui me audiebant, expectabant sententiam, & intenti tacebant ad consilium meum: verbis meis addere nihil audebant. Oculi mei cæco, pes claudo pater eram pauperum, & causam quam nesciebam, diligentissimè investigabam.

*Psal. Erudimini qui judicatis terram: * Servite Domino in timore. Gloria Patri, &c.*

ORATIO.

Deus, qui Beatum Yvonem, Confessorem tuum, pauperibus patrem, viduis patronum, pu-

illis tutorem dedisti; da nobis ejus intercessione, simili charitate flagrare, & temporalibus quæ citò transeunt, pretiosam æternitatis comparare Margaritam. Per, &c.

Leitio Libri Job.

Videbant me juvenes, & abscondebantur: & senes assurgentes stabant. Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo. Vocem suam cohibebant duces, & lingua eorum gutturi suo adhærebat. Auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi: eo quod liberasset pauperem vociferantem, & pupillum, cui non esset adjutor. Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum. Justitiâ indutus sum; & vestivi me, sicut vestimento & diademate, judicio meo. Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum; & causam quam nesciebam, diligentissimè investigabam. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferbam prædam. Dicebamque: In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies. Radix mea aperta est secus aquas, & ros morabitur in messione meâ. Gloria mea semper invocabitur, & arcus meus in manu meâ instaurabitur. Qui me audiebant, expectabant sententiam, & intenti tacebant ad consilium meum. Verbis meis addere nihil



audebant, & super illos stillabat eloquium meum. Expectabant me sicut pluviam, & os suum aperiebant quasi ad imbrem ferotinum. Si quando ridebam ad eos, non credebant, & lux vultus mei non cadebat in terram. Si voluissem ire ad eos, sedebam primus: Cumque sederem quasi Rex, circumstante exercitu, eram tamen mærentium consolator.

GRADUALE.

Job. 31. **A**B infantiâ crevit mecum misericordia, & de utero matris meæ egressa est mecum. Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.

Eccles. 40. *Vers.* Libera eum qui injuriam patitur, de manu superbi. In iudicando esto pupillis misericors ut Pater. Alleluia, alleluia.

Pf. 81. *Vers.* Judicate egeno & pupillo: humilem & pauperem iustificare. Alleluia.

Tempore Paschali omittitur Graduale, & ejus loco dicitur,

Matth. 6. Alleluia, alleluia. Thesaurisate vobis thesauros in cælo: Ubi neque ærugo, neque tinea demolitur: & ubi fures non effodiunt, nec furantur. Alleluia.

Pf. 40. *Vers.* Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die malâ

liberabit eum Dominus: Alleluia.
† Sequentia S. Evangelii secundum Lucam.

Luc. 12. **I**N illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum. Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam. Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis, quo fur non appropriat, neque tinea corrumpit. Ubi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit. Credo. & quotid. per Ocl.

OFFERTORIUM.

Pf. 84. **M**isericordia & veritas obviaverunt sibi: justitia & pax osculatæ sunt.

SECRETA.

Ouæsumus, virtutum cœlestium Deus, ut sacrificia pro B. Yvonis solemnitate delata, desideriorum nos temporalium doceant habere contemptum, & ambire faciant bona sempiterna. Per Dominum nostrum, &c.

COMMUNIO.

Luc. 6. **I**pse benignus est super ingratos & malos; estote ergo misericordes, sicut & Pater vester misericors est.

POSTCOMMUNIO.

Deus, mirabilis in Sanctis tuis, qui Beatum Yvonem exemplar pietatis nobis constituisti, concede ut sicut ille in Sacramento tui amoris totus ardebat, sic in nobis eodem cibo refectis, ignescat cor nostrum, & in te, qui solus es, vita nostra maneat & quiescat. Qui vivis, &c.

* *Infra ocl. dicitur eadem Miss. in quâ 2. or. Concede. 3. Ecclesiæ vel pro Papâ.*

DIE XXIV. MAII.

FESTUM

S. JOAN-FRANC. REGIS CONF

Missâ de com. Conf. non Pont. Os Justi, &c.

ORATIO.

Deus, qui ad plurimos pro salute animarum perferendos labores, Beatum Joannem-Franciscum Confessorem tuum mirabili charitate, & invictâ patientiâ decorasti: concede propitius, ut ejus exemplis instructi, & intercessionibus adjuti, æternæ vitæ præmia consequamur. Per, &c.

Comm. Ocl. S. Yvon.

MENSE JUNIO.

FESTUM.

SACRATISSIMI CORDIS.

DOMINI NOSTRI JESUS-CHRISTI.

INTROITUS.

Dixit Dominus: Sanctificavi domum hanc, ut ponerem cor meum ibi cunctis diebus. *Temp. Pasch. Alleluia.*

Psal. Quàm dilecta Tabernacula tua, Domine virtutum: concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Gloria Patri, &c.

ORATIO.

Domine Jesu, qui ineffabiles divitias de thesauro cordis tui sacratissimi profers, & jugiter largiris hominibus, concede propitius, ut ejusdem divini Cordis affectibus & virtutibus conformes effecti, ipsius erga nos amoris, mutuo amore respondere, & injurias ei in Sacramento sui amoris illatas, dignis obsequiis compensare valeamus. Qui vivis & regnas cum Deo Patre, &c.

Comm. Dominica.

Lectio Isaïæ Prophetæ.

Verè languores nostros ipse tulit. & dolores nostros ipse

portavit; & nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus. Unusquisque in viam suam declinavit: & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum. Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. De angustia & de iudicio sublatus est. Generationem ejus quis enarrabit?

GRADUALE.

Luc.
12.

Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur?

Vers. Domine, ure cor meum; in Ecclesiis benedicam te. Alleluia, alleluia.

Vers. Omnis congregatio populi effundite coram illo corda vestra. Alleluia.

PROSA.

Jesu voluptas cordium,
Cor ure sanctis ignibus,
Ut lingua pangat dignius
Cordis tuis præconium.
Cor, digna sedes Numine,

Te virtus alma Flaminis,
Sinum fecundans virginis,
Puro creavit sanguine.

Cœlestis hîc scientiæ,
Thesauri sunt absconditi,
Hîc veræ sapientiæ,
Vivi fontes sunt abditæ.
Hîc casta florent lilia
Quibus nitescent virginæ:
Hîc undè splendent Martyres,
Blandè rubescit purpura.

O Cor sole splendidius,
Cœlo templum augustius,
Verbi Dei sacrarium,
Opum Dei compendium.
Ex te quot ignes emicant!
Lucis æternæ claritas,
Et sine labe speculum,
In quo refulget Deitas.

O Cor, Deo par victima,
Altare sacratissimum,
In quo perennis hostia,
Culpas piat mortalium.

Vindex reis irascitur
Deus, sed ut te respicit,
Placatus iras abjicit,
Et fulmen obliviscitur.

Grandi confossum vulnere
Te lancea dat pervium,
Amor reclusit ostium,
Hortatur & pervadere.

Cœli terræque gaudium
Nos jugiter inebria;
Amoris ô incendium
Amore corda concrema.
Per hæc misericordiæ
Quibus abundas viscera,

O Jesu, plenus gratiæ
In nos decurrant flumina.

Quos abluisti sanguine,
Venis apertis omnibus,
Cordis tui recessibus
Nos in æternum contine. Amen.

† Sequentia sancti Evangelii
secundum Joannem.

Cap 19

IN illo tempore: Judæi, quoniam parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora sabbato, (erat enim magnus dies ille sabbati) rogaverunt Pilatum, ut frangerentur crura eorum, & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderent eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lanceâ latus ejus aperuit & continuo exivit sanguis & aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit; & verum est testimonium ejus. *Credo.*

OFFERTORIUM.

Ps. 19

Memor sit Dominus omnis sacrificii tui, & holocaustum tuum pingue fiat: tribuat tibi secundum cor tuum: lætabimur in salutari tuo.

Temp. Pasch. Alleluia.

SECRETA.

Respice, Domine, in faciem
& in cor Christi tui; & sacris

quibus ardet ignibus ita corda nostra comburas, ut nihil nobis sapiat, nihil nos delectet, nihil nos alliciat præter ipsum Dominum nostrum Jesum-Christum filium tuum. Qui tecum vivit & regnat in unitate. &c.

Com. Dominicæ.

PRÆFATIO.

Verè dignum & justum est, æquum & salutare &c. Per Christum Dominum nostrum; qui sacrum cor suum, divini amoris fornacem, per latus transfixum lanceâ, mundo patere voluit, ut eandem flammam in hominum corda transfunderet; cor mundum, animas mundans; cor summè sanctum, sanctitatem conferens; cor benignum, volens omnes salvos fieri, & in cœlesti regno perenniter coronari. Et ideo divinum illud Cor, omnium virtutum fontem, piè veneramur: cum Angelis & Archangelis, cum thronis & dominationibus; cumque omni militiâ cœlestis exercitus hymnum gloriæ Deo patri, parem hymnum Deo filio, hymnum parem spiritui sancto unanimi voce concinimus, sine fine dicentes. Sanctus. &c.

COMMUNIO.

Inveni quem diligit anima mea. *Cant 3*
Tenui eum nec dimittam.

POSTCOMMUNIO.

Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui propter nimiam charitatem quā dilexisti nos, dilectissimi filii tui cor amantissimum nobis ineffabili bonitate donasti, ut te uno corde cum ipso perfectè diligamus: præsta, quæsumus, ut cordibus nostris, inter se, & cum corde Jesu, in unum consummatis, omnia nostra in charitate ejus fiant, atque ipso interveniente, iusta cordis nostri desideria compleantur. Per eundem Dominum. &c.

Com. Dominicæ.

In fine legitur Evangel. Dominicæ.

Pro Missâ votivâ. Temp. Pasch.

Alleluia, Alleluia. Lætatum est cor meum, quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Alleluia.

Vers. Notas mihi fecisti vias vitæ: adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo; delectationes in dexterâ tuâ usquè in finem. Alleluia

In Septuagesimâ., TRACTUS.

Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis.

Vers. Factum est cor meum tan-

quam cera liquefscens in medio ventris mei.

Vers. Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum à me, ad defensionem meam conspice.

Vers. Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te.

DIE XXI. JUNII.

FESTUM

S. LUDOVICI GONZAGÆ C.

Missâ ut in Com. Conf. non Pont.
Os iusti.

ORATIO.

Cœlestium donorum distributor Deus, qui in Angelico juvene Ludovico, miram vitæ innocentiam pari cum pœnitentiâ sociasti; ejus meritis & precibus concede, ut innocentem non secuti pœnitentem imitemur, Per, &c.

MENSE JULIO.

DIE XXVII. JULII.

FESTUM

S. SAMSONIS, DOLENSIS

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Missâ ut in comm. Confess. Pont.
Missâ.

Missâ Statuit. De Communi primo loco, cum Orationibus & Evangelio sequentibus.

ORATIO.

Deus, qui etiam longinquis & remotis ad mare regionibus beati Pontificis Samsonis ministerio gloriam tuam prædicari voluisti: ejus meritis & intercessione concede, ut quæ pro consequendâ salute facienda edocuit, digno evangelicis promissis effectu adimplere valeamus. Per Dominum, &c.

† Sequentia S. Evangelii secundum Matthæum.

Capitolo

In illo tempore: Dixit Jesus Discipulis suis, Euntes, prædicate, dicentes: quia appropinquavit regnum Cœlorum. Infirmos curate, mortuos suscite, leprosos munde, Dæmones ejicite: gratis accepistis, gratis date. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris: non peram in viâ, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam: dignus enim est operarius cibo suo. In quamcumque autem civitatem, aut castellum intraveritis, interrogate quis in eâ dignus sit: & ibi manete donec exeatis: Intrantes autem in domum, salutate eam, dicentes: Pax huic domui. Et si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam: si autem non

fuerit digna, pax vestra revertetur ad vos. Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros: exeuntes foras de domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris.

SECRETA.

Deus, qui cum muneribus nullis indigeas, ipse nobis munera cuncta largiris: accipe propitius quæ de tuis donis tibi nos offerre voluisti, & Beati Samsonis Antistitis intercessione præsta, ut exuberans in nobis tui gratia Sacramenti, donis suis ipsa nos dignos efficiat. Per Dominum, &c.

POSTCOMMUNIO.

Plebs tua, Domine, Sacramentis purificata cœlestibus, & B. Samsonis Pontificis adjuta suffragiis, quod sumit, intelligat; quod gustu delibat, moribus apprehendat: quod justis orationibus expetit, tuâ miseratione percipiat. Per Dominum, &c.

DIE XXX. JULII.

FESTUM.

SANCTI GUILLELMI

BRIOCENSIS EPISCOPI.

Missâ, Sacerdotes tui. Comm. SS. Abdon & Sennen Martyr.

MENSE AUGUSTO.

DIE XXII. AUGUSTI.

FESTUM.

VITÆ INTERIORIS

BEATÆ Mariæ VIRGINIS.

Missæ, De Beatâ.

ORATIO.

Deus, qui Beatam Mariam semper Virginem spiritualibus gratiæ donis cumulando, eam imaginis filii tui perfectè conformem effecisti; concede ut fidei virtutum ipsius imitatione, Christum in nobis exprimere valeamus. Qui tecum vivit, &c.

Præf. Et in festivitate, &c.

Com. SS. Timothei & Socior. Mart. & dicitur, Credo.

MENSE OCTOBRI.

DOMINICA TERTIA OCTOBRI.

FESTUM.

SACERDOTII D. N. J. C.

INTROITUS.

Jesus autem eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium. Undè & salvare potest accedentes per semetipsum ad

Deum semper vivens ad interpellandum pro nobis.

Pf. Tu es Sacerdos in æternum* secundum ordinem Melchisedech. Gloria Patri, &c.

ORATIO.

Deus, qui ad majestatis tuæ gloriam, & generis humani salutem unigenitum tuum summum constituisti sacerdotem: præsta ut quos mysteriorum suorum elegit cooperatores & dispensatores, ministerium quod acceperunt, fideliter impleant. Per eundem Dominum, &c.

Comm. Dominicæ.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Hebræos,

Translato enim sacerdotio; necesse est ut & legis translatio fiat. In quo enim hæc dicuntur, de aliâ Tribu est, de quâ nullus Altari præstò fuit. Manifestum est enim quòd ex Judâ ortus sit Dominus noster: in quâ Tribu nihil de sacerdotibus Moyse locutus est. Et amplius adhuc manifestum est: si secundum similitudinem Melchisedech exurgat alius sacerdos, qui non secundum legem mandati carnalis factus est, sed secundum virtutem vitæ insolubilis. Contestatur enim: quoniam tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem

Cap 7.

GRADUALE.

Melchisedech. Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex: introductio verò melioris spei, per quam proximamus ad Deum. Et quantum est non sine jurejurando (alii quidem sine jurejurando sacerdotes facti sunt, hic autem cum jurejurando per eum, qui dixit ad illum: juravit Dominus & non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in æternum:) In tantum melioris testamenti sponsor factus est Jesus. Et alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quòd morte prohiberentur permanere: hic autem eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. Undè & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum: semper vivens ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus: qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deindè pro populi: hoc enim fecit semel, seipsum offerendo. Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes, sermo autem jurisjurandi, qui post legem est, filium in æternum perfectum.

Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron: sic & Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret.

Vers. Cum esset filius Dei, dicit ex iis quæ passus est, obedientiam. Alleluia, alleluia.

Vers. Ideò ingrediens mundum dixit: Hostiam & oblationem nolui: corpus autem aptasti mihi: Tunc dixi: Ecce venio. Alleluia.

† Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore: Cum facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo. Et ait illis: Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequàm patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in Regno Dei. Et accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite & dividite inter vos. Dico enim vobis quòd non bibam de generatione vitis, donec Regnum Dei veniat. Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: Hoc facite in meam commemorationem. similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic est

calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.

Credo, & per Oct.

OFFERTORIUM.

Hebr.
4

Habentes Pontificem magnum qui penetravit cœlos, Jesum filium Dei: adeamus cum fiduciâ ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio oportuno.

SECRETA.

Sanguis, quem effudit Christus ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, clamat ad te, Deus, ut à sacerdotali ministerio fures & mercenarios arceas, & qui mensæ dæmoniorum esse participes non erubescunt, ejusdem Dominici sanguinis non finas fieri consecratores. Per eundem Dominum, &c.

Com. Dominicæ.

PRÆFATIO.

Verè dignum & justum est, æquum & salutare; nos tibi semper & ubique gratias agere. Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: per Christum Dominum nostrum. Qui victima sacerdotii sui, & sacerdos suæ victimæ tibi Patri suo seipsum primus obtulit, & hoc fieri per Ministrorum manus in suâ commemorationem præcepit; & quos mysteriorum suorum facit dispensatores, post completum dignè ministerium, gloriæ suæ jubet esse consortes. Et ideo cum Angelis & Archangelis,

cum thronis & dominationibus; cumque omni militiâ cœlestis exercitus hymnum gloriæ tuæ canimus, sine fine dicentes: Sanctus, &c.

Dicitur per totam Octavam.

COMMUNIO.

Regnum immobile suscipientes, habemus gratiam: per quam serviamus placentes Deo, cum metu & reverentiâ. Etenim Deus noster ignis consumens est.

Hebr.
12.

POSTCOMMUNIO.

Sancte Pater omnipotens, respice de Sanctuario tuo, & de excelso cœlorum habitaculo, in faciem Christi tui, & quos eodem sancto sacerdotio decorare dignatus es, benedic abundantiam gratiæ tuæ largitione, & populus bonis tuis adimplebitur. Per eundem, &c.

Com. Dom. & ej. Evang. in fine.

* Infrà Octavam dicitur eadem Miss. in quâ 2. or. *Concede, 3. Ecclesiæ, vel pro Papâ.*

DOMINICA IV. OCTOBRIS.

FESTUM

OMNIUM SS. EPISCOPORUM,

SACERDOTUM ET LEVITARUM NOVÆ LEGIS,

PRÆSERTIM DIŒCESIS TRECORENSIS.

INTROITUS.

OMnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt

Et sunt

Ecc.
44.

Et sunt quorum non est memoria; sed illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt, & laudem eorum nuntiet Ecclesia.

Psal.
65.

Psal. Venite, audite, & narrabo omnes qui timetis Deum: * quanta fecit animæ meæ. Gloria Patri & Filio, &c.

ORATIO.

Deus, tuorum gloria Sacerdotum, qui ad immortales triumphos eos extulisti qui fideliter ministerium suum impleverunt: præsta, ut eorum intuentes exitum conversationis, virtutes imitemur, & quos habuimus aliquandò Pastores, habeamus in cœlis intercessores. Per Dominum, &c.

Comm. Dominicæ.

Lectio Libri Ecclesiastici.

Cap.
44.

LAudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione suâ. Multam gloriam fecit Dominus magnificentiam suâ à seculo. Dominantes in potestatibus suis, homines magni virtute, & prudentiâ suâ præditi, nuntiantes in Prophetis dignitatem Prophetarum, & imperantes in præsentī populo: & virtute prudentiæ populis sanctissima verba. In peritiâ suâ requirentes modos muscos, & narrantes car-

mina scripturarum. Homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes: pacificantes in domibus suis. Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti & in diebus suis habentur in laudibus. Qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum. Et sunt, quorum non est memoria: perierunt quasi qui non fuerint: & nati sunt, quasi non nati, & filii ipsorum cum ipsis. Sed illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt. Cum semine eorum permanent bona. Hereditas sancta nepotes eorum, & in testamentis stetit semen eorum: & filii eorum propter illos usque in æternum manent. Semen eorum & gloriæ eorum non derelinquetur. Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, & nomen eorum vivit in generationem & generationem. Sapientiam ipsorum narrent populi, & laudes eorum nuntiet Ecclesia.

GRADUALE.

Qui bene præfunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo & doctrinâ.

Vers. Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Alleluia, alleluia.

Vers. Probasti nos Deus: Igne

D

Hebr.
5.

Dir.
12.

nos examinasti, sicut examinatur argentum: posuisti tribulationes in dorso nostro. Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Alleluia.

† Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

Cap. 4

In illo tempore: Dixit Jesus Discipulis suis: Ecce dico vobis: Levate oculos vestros, & videte Religionem, quia albæ sunt jam ad messem. Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam: ut, & qui seminat, simul gaudeat, & qui metit. In hoc enim est verbum verum: Quia alius est qui seminat, & alius est qui metit. Ego misi vos metere quod vos non laborastis. Alii laboraverunt, & vos in labores eorum introistis.

Credo, etiam si transferatur Festum.

OFFERTORIUM.

1. Cor. 4.

Spectaculum facti sumus mundo & Angelis, & hominibus. In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.

SECRETA.

Accedimus ad te, Domine, cum verâ fiduciâ, & qui filii Sanctorum sumus, in eorum societate admitti in cœlis enixè postulamus, Per Dominum, &c.

Com. Dominicæ.

Præfatio, ut in Festo Sacerdotii D. N. J. C.

COMMUNIO.

Cibavit eos ex adipe frumenti, & de petrâ melle saturavit eos. Ps. 80

POSTCOMMUNIO.

DA nobis Deus, Beatorum Pontificum, Sacerdotum, & Levitarum novæ legis exemplo & precibus, ab Altaris tui mensâ tanquam leones recedere, charitatis ignem spirantes, & diabolo factos divinâ virtute terribiles. Per, &c.

Com. Dom. & ejus Evangel. in fine.

DIE XXIX. OCTOBRIS.

TRANSLATIO.

SANCTI YVONIS.

Missa ut in Festo Principali. 19 Maii.

ORATIO.

Deus, qui præsentem diem honorabilem in Beati Yvonis Confessoris tui translatione fecisti: da nobis spiritualium gratiam gaudiorum, & cujus ossa pio amore veneramus, ipsius intercessione salvemur: Per Dominum, &c.

MENSE NOVEMBRI.

DOMINICA INFRA OCTAVAM,

OMNIUM SANCTORUM.

VENERATIO.

SS. RELIQUIARUM.

INTROITUS.

Mat. 24.

Tunc parebit signum filii hominis in cœlo: & mittet Angelos suos cum tubâ, & voce magnâ: & congregabunt electos ejus à quatuor ventis, à summis cœlorum, usque ad terminos eorum.

Ps. 83

Psalm. Elegi abjectus esse in domo Dei mei: * magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Gloria Patri, &c.

ORATIO.

Auge in nobis, Domine, resurrectionis fidem, qui in Sanctorum tuorum Reliquiis mirabilia operaris: & fac nos immortalitatis gloriæ participes, cujus in eorum cineribus pignora veneramur. Per, &c.

Com. Dom. & O. A.

Lectio Libri Sapientiæ.

Cap. 5.

Tunc stabunt justi in magnâ constantiâ adversus eos qui se angustiaverunt, & qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra se, poenitentiam agentes, & præ angustia spiritus gemen-

tes: hi sunt quos habuimus aliquando in derisum & in similitudinem improprietatis. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos fors illorum est. Ergo erravimus à viâ veritatis, & justitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in viâ iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles; viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia? Aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra, & tanquam nuntius percurrentis, & tanquam navis, quæ pertransit fluctuantem aquam: cujus, cum præterierit, non est vestigium invenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus, aut tanquam avis quæ transvolat in aere, cujus nullum invenitur argumentum itineris, sed tantum sonitus alarum verberans levem ventum, & scindens per vim itineris aerem: commotis alis transvolabit, & post hoc nullum signum invenitur itineris illius: aut tanquam sagitta emissa in locum destinatum, divisus aer continuo in se reclusus est, ut ignoretur transitus illius. Sic & nos nati continuo desivimus esse: & virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere: in malignitate autem nostrâ consumpti sumus. Ta-

lia dixerunt in inferno hi qui peccaverunt: quoniam spes impii tanquam lanugo est, quæ à vento tollitur: & tanquam spuma gracilis, quæ à procellâ dispergitur: & tanquam fumus, qui à vento diffusus est: & tanquam memoria hospitis unius diei prætereuntis. Iusti autem in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum, & cogitatio illorum apud Altissimum. Ideo accipient regnum decoris & Diadema speciei de manu Domini: quoniam dexterâ suâ reget eos, & brachio sancto suo defendet illos.

GRADUALE.

Sap. 3. **V** Ii sunt oculis insipientium mori; illi autem sunt in pace.

Is. 26. *Vers.* Expergiscimini & laudate qui habitatis in pulvere, dabo spiritum meum in vobis, & vivetis.

Psf. 34. Alleluia, alleluia. *Vers.* Anima mea exultabit in Domino, & delectabitur super salutari suo: omnia ossa mea dicent; Domine quis similis tibi? Alleluia.

† Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam.

Cap. 12. **I** N illo tempore: Dixit Jesus Discipulis suis: Dico autem vobis amicis meis: ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc

non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete. Nonne quinque passeret vaneunt dispendio? Et unus ex illis non est in oblivione coram Deo: sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus pluris estis vos. Dico autem vobis: Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei. Et omnis qui dicit verbum in filium hominis, remittetur illi: ei autem qui in spiritum sanctum blasphemaverit, non remittetur. Cum autem inducent vos in synagogas, & ad Magistratus, & Potestates, nolite solliciti esse qualiter aut quid respondeatis, aut quid dicatis: spiritus enim sanctus docebit vos in ipsâ horâ quid oporteat vos dicere. *Credo.*

OFFERTORIUM.

Matt. 16. **Q** uid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro animâ suâ?

SECRETA.

D eus qui corpora Sanctorum tuorum per inhabitantem spiritum

spiritum sanctum tuum sanctificare dignatus es, præsta ut eorum pia merita recolentes, imitemur exempla, & terrestria relinquentes, sola quæramus cœlestia. Per, &c.

Com. Dom. & Oct.

COMMUNIO.

Hebr. 11.

E T nos tantam habentes impositam nubem testium, curramus ad propositum nobis certamen: aspicientes in auctorem fidei Jesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contemptâ atque in dexterâ sedis Dei sedet.

POSTCOMMUNIO.

M irabilem te, Deus, & unum sanctum in omnibus Sanctis tuis adorantes, gratiam tuam imploramus; quâ perficientes sanctificationem in timore tuo, ex hac cœlesti mensâ ad cœli ipsius perenne transeamus convivium. Per, &c.

Com. Dom. & Oct. Evangel. Dom. in fine.

DIE XVI. NOVEMBRIS.

FESTUM

SANCTI MAUDETI,

CONFESSORIS

Missæ. Iustus.

DIE XXX. NOVEMBRIS.

FESTUM.

S. TUDUALDI, EPISCOPI,

ET PRIMI DIOC. TREC. PATRONI.

INROITUS.

Gent. 2. **E** Gredere de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, & de domo patris tui, & veni in terram quam monstrabo tibi. Benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, & eris benedictus.

Psal. 122. Narrabo nomen tuum fratribus meis: * In medio Ecclesiæ laudabo te. Gloria Patri &c.

ORATIO.

D eus, qui super Ecclesiæ tuæ candelabrum Beatum Pontificem Tudualdum Collocasti, da ut rectum iter, quod illius luminis beneficio internoscimus, ingredientes, & constanter terentes, ad cœlestem Jerusalem, cujus lucerna est agnus, pervenire valeamus. Per, &c.

In Adventu sit com. Fer. Occ.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Hebræos.

Hebr. 13. **F** Ratres: mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conversationis,

E

imitamini fidem. Jesu-Christus heri & hodie: ipse & in secula. Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. Optimum est enim gratiā stabilire cor, non escis: quæ non profuerunt ambulanti in eis. Habemus Altare de quo edere non habent potestatem, qui Tabernaculo deserviunt. Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod & Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improprium ejus portantes. Non enim habemus hinc manentem civitatem, sed futuram inquirimus. Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus. Beneficentiæ autem & communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus. Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.

GRADUALE.

Eph. 3 **M**inister factus sum Evangelii secundum operationem virtutis Dei.

Vers. Mihi data est gratia hæc, evangelizare investigabiles divitias Christi. Alleluia, alleluia.

Vers. Quam pulchri super montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salutem! Alleluia.

† Sequentia Sancti Evangelii secundum Joannem.

Cap. 10 **I**n illo tempore: Dixit Jesus quibusdam ex Phariseis: Ego sum Pastor bonus. Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis. Mercenarius autem, & qui non est Pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves: & fugit: & lupus rapit, & dispergit oves. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ovibus. Ego sum Pastor bonus: & cognosco meas, & cognoscunt me meæ. Sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem: Et animam meam pono pro ovibus meis. Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili. Et illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus Pastor. Propterea me diligit Pater: quia ego pono animam meam ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me: sed ego pono eam à me ipso, & potestatem habeo ponendi eam: & potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi à Patre meo.

Credo, per totam Octavam.

OFFERTORIUM.

Ecl. 50. **C**onsummatione fungens in arâ, effudit in fundamento altaris odorem divinum excelsi principii.

SECRETA.

Plebem tuam tibi, Domine, beati Pontificis Tudualdi præcatio conciliet, cujus memoriam anniversario sacrificio celebrat. Per. *In Adventu, comm. fer.*

COMMUNIO.

Tit. 2 **A**p paruit, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & secularia desideria, sobriè, & justè, & piè vivamus in hoc seculo.

POSTCOMMUNIO.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut illius in cœlis fruamur aspectu, cujus carnem manducavimus & sanguinem bibimus in Sacramento. Per, &c. *In Adv. comm. fer.*

* *Infrà Octav. dicitur ead. Missa.*

MENSE DECEMBRI.

DIE XII. DECEMBRIS.

FESTUM

SANCTI CORENTINI,
CORISOPITENSIS EP. ET CONF.

Miss. de com. C. Pont. Sacerdotes tui.

ORATIO.

Gratia tua, quæsumus, Domine, tribue largitatem, ut

qui beati Corentini Confessoris tui atque Pontificis memoriam recolimus, vitæ præsentis & futuræ præfidiis gaudeamus. Per, &c.

Comm. Octav. & fer.

† Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam.

Luc. 10. **I**n illo tempore: dixit Jesus Discipulis suis Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque sub modio: sed supra candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant. Lucerna corporis tui, est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. Vide ergo, ne lumen quod in te est, tenebræ sint. Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te. *Credo.*

DIE XVII. DECEMBRIS.

FESTUM

SANCTI JUDICAELIS.

AREMORICÆ REGIS ET CONFESSORIS.

INTROITUS.

Ps. 5 **Q**uis dabit mihi pennas sicut columbæ? Et volabo & requiescam. Ecce elongavi fugiens & mansi in solitudine, quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in civitate.

Pf. 20

Pf. Domine prævenisti, eum in benedictionibus dulcedinis: * posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

Gloria patri, &c.

Quis dabit.

COLLECTA.

DEus, qui beatum Judicælem à terreni principatus gloriâ ad perfectionis Evangelicæ professionem evocasti: ejus nobis intercessionem & auxilio tribue, ut spreto mundi illecebris, Christum sequi valeamus. Qui tecum, &c.

Comm. fer. Advent.

Lectio Libri Ecclesiastæ.

Cap. 1
2.

EGO fui Rex Israël in Jerusalelem: & proposui in animo meo quærere & investigare sapienter de omnibus, quæ fiunt sub sole, & ecce universa vanitas, & afflictio spiritûs. Locutus sum in corde meo, dicens: Ecce magnus effectus sum, & præcessi omnes sapientiâ, qui fuerunt ante me in Jerusalelem: & mens mea contemplata est multa sapienter; & agnovi quod in his quoque esset labor, & afflictio spiritûs. Dixi ego in corde meo: Vadam, & affluam divitiis, & fruabor bonis. Et vidi quod hoc quoque esset vanitas. Cumque me convertissem ad universa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem & afflictio-

nem animi, & nihil permanere sub sole. Transivi ad contemplandam sapientiam, erroresque & stultitiam: (quid est, inquam, homo, ut sequi possit Regem factorem suum?) & vidi quod tantum præcederet sapientia stultitiam, quantum differt lux à tenebris. Unde cessavi, renuntiavitque cor meum ultra laborare sub sole.

GRADUALE.

Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patitur?

v. Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium, quod nec auferre quid possumus.

Alleluia, alleluia. v. Qui retrò sunt obliviscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. Alleluia.

† Sequentia S. Evangelii secundum Lucam.

IN illo tempore: Jesus ait cuidam Principi: Unum tibi deest; omnia quæcumque habes vende & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo; & veni, sequere me. His ille auditis, contristatus est: quia dives erat valde. Videns autem Jesus illum tristem factum, dixit: Quam difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt!

Matth.
16.1 Tim.
6.Phil.
3.

Cap. 18

bunt! Facilius est enim camelum per foramen acûs transire, quam divitem intrare in regnum Dei. Et dixerunt qui audiebant; Et quis potest salvus fieri? Ait illis: Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. Ait autem Petrus: Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te. Qui dixit eis: Amen dico vobis, nemo est, qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios, propter regnum Dei, & non recipiat multò plura in hoc tempore, & in seculo venturo vitam æternam.

OFFERTORIUM.

Hebr.
11.

FIDE majores divitias æstimans, thesauro Ægyptiorum, improprium Christi, aspiciebat in remunerationem: fide reliquit Ægyptum, invisibilem enim tanquam videns sustinuit.

SECRETA.

SUScipe, Domine, sacrificium placationis & laudis; quod nos, interveniente beato Judicæle, & à terrenis expediat affectibus, & in perpetuâ gratiarum actione constituat. Per, &c. *Comm. fer. Advent.*

COMMUNIO.

Pf. 30

QUAM magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te! abscondes eos in abscondito faciei tuæ; proteges eos in tabernaculo tuo.

POSTCOMMUNIO.

Absconde nos, Domine, in abscondito faciei tuæ corporis tui Sacramento munitos: ut à mundi periculis & tentationibus liberi, Sancti Judicælis imitatione, in lege tuâ die ac nocte meditantes, deliciis perfrui mereamur æternis. Qui vivis, &c. *Comm. fer. Adventus.*

DIE XXVIII DECEMBRIS.

FESTUM

EXPECTATIONIS PARTUS B. M. V.

Missa de Beatâ Mariâ.

ORATIO.

DEus, qui de Beatæ Mariæ Virginis utero verbum tuum Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti: præsta supplicibus tuis, ut qui verè eam genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per, &c.

Comm. fer. Credo.

Præfatio B. M. Et te in expectatione partus B. M. V.

MISSA

PRO ANNIVERSARIO ORDINATIONIS,

In Sabbatho Quatuor-Temporum celebranda ad devotionem cujuslibet.

INTROITUS.

NEC quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Sic & Christus

F

non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum: filius meus es tu, ego hodie genui te.

Psal. Tu es Sacerdos in æternum * secundum ordinem Melchisedech. Gloria Patri, &c.

O R A T I O.

Deus qui me indignum in Sanctuario tuo collocasti, & mihi onus humeris angelicis formidandum imposuisti Sacerdotum tuorum novissimum misericorditer respice: gratiam Ordinationis resuscita in me, adauge & confirma: da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, mecum sit, & mecum laboret: fac me Sacerdotem secundum cor tuum, & à Jesu-Christo Filio tuo sempiterno Sacerdote, nunquam separari permittas. Per.

Com. Sab. nisi transferatur.

Lectio Ezechielis Prophetæ.

Cap. 3

Et factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis, vaticinare ad Prophetas Israël, qui prophetant. Et dices prophetantibus de corde suo: audite verbum Domini: hæc dicit Dominus Deus: Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident. Quasi vulpes in desertis, Prophetæ tui Israël erant. Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israël, ut staretis in prælio in die Domini. Vident vana, & divinant mendacium,

dicentes: ait Dominus: cum Dominus non miserit eos: & perseveraverunt confirmare sermonem. Numquid non visionem cassam vidistis, & divinationem mendacem locuti estis? Et dicitis, ait Dominus: Cum ego non sim locutus. Propterea hæc dicit Dominus Deus: quia locuti estis vana, & vidistis mendacium, ideo ecce ego ad vos, dicit Dominus Deus. Erit manus mea super Prophetas qui vident mala, & divinant mendacium. In consilio populi mei non erunt, & in scripturâ domus Israël non scribentur, nec in terram Israël ingredientur. Et scietis quia ego Dominus Deus: eo quod de ceperint populum meum, dicentes: Pax, & non est pax: & ipse ædificabat parietem, illi autem lineabant eum luto absque paleis. Dic ad eos qui liniunt absque temperaturâ, quod casurus sit. Erit enim imber inundans, & dabo lapides prægrandes desuper irruentes, & ventum procellæ dissipantem. Siquidem ecce cecidit paries, numquid non dicetur vobis: ubi est litura quam liniisti? Propterea hæc dicit Dominus Deus: & erumpere faciam spiritum tempestatum in indignatione meâ, imber inundans in furore meo erit: & lapides grandes in irâ in consumptionem. Et destruam parietem, quem liniistis absque temperamento; & adæquabo eum terræ, & revelabitur fundamentum ejus;

& cadet; & consumetur in medio ejus: & scietis quia ego sum Dominus. Et complebo indignationem meam in pariete, & in his qui liniunt eum absque temperamento, dicamque vobis: non est paries, & non sunt qui liniunt eum: Prophetæ Israël, qui prophetant ad Jerusalem, & vident ei visionem pacis, & non est pax, ait Dominus Deus. Et tu fili hominis, pone faciem tuam contra filias populi tui, quæ prophetant de corde suo: & vaticinare super eas, & dic: hæc dicit Dominus Deus: Væ quæ consuunt pulvillos sub omni cubito manûs; & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis, ad capiendas animas; & cum caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum. Et violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, & fragmen panis, ut interficerent animas quæ non moriuntur, & vivificarent animas quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis. Propter hoc hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad pulvillos vestros, quibus vos capitis animas volantes: & dirumpam eos de brachiis vestris: & dimittam animas, quas vos capitis, animas ad volandum. Et dirumpam cervicalia vestra, & liberabo populum meum de manu vestrâ, neque erunt ultra in manibus vestris ad prædandum: & scietis quia ego Dominus. Pro eo quod mœrere fe-

cistis cor iusti mendaciter, quem ego non contristavi: & confortastis manus impii, ut non reverteretur à viâ suâ malâ, & viveret: propterea vana non videbitis, & divinationes non divinabitis amplius, & eruam populum meum de manu vestrâ: & scietis quia ego Dominus.

G R A D U A L E.

Vos autem estis qui persistis mecum in tentationibus meis: & ego dispono vobis sicut disposuit pater meus regnum, ut edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedetis super thronos, judicantes duodecim Tribus Israël.

v. Ecce venio citò, tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.

v. Alleluia, Alleluia, vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. Alleluia.

† Sequentia Sancti Evangelii secundum Joannem.

In illo tempore: cum serò esset die illo, unâ sabbathorum, & fores essent clausæ, ubi erant Discipuli congregati propter metum Judæorum; venit Jesus, & stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis. Et cum hæc dixisset, ostendit eis manus & latus. Gavisi sunt ergo Dis-

Luc. 22

Apoc. 3.

1 Pet. 2.

Cap. 20.

cipuli, viso Domino. Dixit ergo eis iterum: Pax vobis. Hæc cum dixisset, insufflavit, & dixit eis: Accipite spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.

OFFERTORIUM.

Ezech. 3. **F**ili hominis, speculatorem dedit domui Israël: & audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me.

SECRETA.

Sanguis quem effudit Christus, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, clamat ad te, Deus, ut à sacerdotali ministerio fures & mercenarios arceas: & qui mensæ Dæmoniorum esse participes non erubescunt, ejusdem dominici sanguinis non finas esse consecratores. Per. *Comm. Sabb. nisi transferatur.*

FINIS.



COMMUNIO.

Jam non dicam vos servos; quia servus nescit quid faciat Dominus ejus. Vos autem dixi amicos; quia omnia quæ audiavi à patre meo, nota feci vobis. *Joann.* 13.

POSTCOMMUNIO.

Deus patrum nostrorum, & Domine misericordiæ, qui fecisti omnia verbo tuo, da nobis sedium tuarum assistricem sapientiam. Mitte illam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, ut nobiscum sit, & nobiscum laboret: custodiat nos in suâ potentiâ, & disponemus populum tuum justè, ut sedium patrum nostrorum digni inveniamur. Per Dominum, &c.

Comm. Sabb. nisi transferatur.

DIE XIX. MAII.

In Festo Sancti Ivonis Confessoris.

INTROITUS.

Ecl. 31. **S**tabilia sunt bona illius in Domino; & eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia sanctorum.

Psalm. 103. *Psalmus.* Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in sæculum sæculi. V. Gloria Patri, &c. *Reperitur.* Stabilia.

Oratio.

Deus, qui beatum Ivonem Confessorem tuum pauperibus Pater, viduis Patronum, pupilis Tutorem dedisti, & de ejus nobis intercessione simili charitate flagrare, & temporalibus, quæ citò transeunt, pretiosam æternitatis comparare margaritam. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus. Per omnia sæcula sæculorum.

Lectio Actuum Apostolorum.

Act. 9. **I**n diebus illis: fuit in Joppe quædam Discipula nomine Tabitha, quæ interpretatur dicitur Dorcas. Hæc erat plena operibus bonis, & eleemosynis, quas fa-

ciebat. Factum est autem ut in firmata moreretur. Quam cum lavissent, posuerunt eam in cœnaculo. Cum autem propè esset Lydda ad Joppen, Discipuli audientes quia Petrus esset in ea, miserunt duos viros ad eum, rogantes: Ne pigriteris venire usque ad nos. Exurgens autem Petrus venit cum illis. Et cum advenisset, duxerunt illum in cœnaculum: & circumsteterunt illum omnes viduæ flentes, & ostendentes ei tunicas & vestes, quas faciebat illis Dorcas. Ejecit autem omnibus foras, Petrus ponens genua oravit: & conversus ad corpus dixit, Tabitha, surge. At illa aperuit oculos suos: & viso Petro resedit. Dans autem illi manum, erexit eam. Et cum vocasset sanctos, & viduas, assignavit eam vivam.

Psalm. 111. *Ibid.* *Graduale.* Jucundus homo qui miseretur & commodat, disponet sermones suos in judicio; quia in æternum non commovebitur. V. In memoria æterna erit justus: ab auditione mala non timebit. Alleluya, alleluya. V. Justus Dominus, & justitias dilexit: æquitatem vidit vultus ejus. Alleluya.

Tempore Paschali omittitur Gra-

Ezech
3.F
ore
eisS
cle
fac
cer
me
be
nis
Co*duale, & ejus loco dicitur.*

Alleluya, Alleluya. V. Justus Dominus, & justitias dilexit: æquitatem vidit vultus ejus. Alleluya. V. Quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam. Alleluya.

*Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam.*Lucæ.
12.

IN illo tempore: Dixit Jesus Discipulis suis: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam. Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis: quod fur non appropriat, neque tinea corrumpit. Ubi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit. Credo.

Psal.
81.

Offertorium. Judicate egeno, & pupillo: humilem, & pauperem justificate. Eripite pauperem: & egenum de manu peccatoris liberate.

Secreta.

MUnera tua Domine in beato Confessore Ivone venerantes; similia nobis, dum hæc sacra peraguntur, enixe precamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, &c.

*
*
*

Communio. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ confortibus tuis.

PostCommunio.

Satiata muneribus sacris familia tua, Domine, fore confidit, ut illius te finas precibus exorari, cujus patrocinio gloria tur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus. Per omnia sæcula sæculorum.

Hæc Missa dicitur etiam in festo Translationis ejusdem Sancti, excepta primâ Oratione, quæ dicitur in infra.

Oratio.

Deus, qui beatum Ivonem Confessorem tuum illustrare voluisti miraculis, concede nobis ut qui te mirabilem prædicamus in sanctis, misericordem experiamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus. Per omnia sæcula sæculorum.